De cuius venustate, ingenio, scitissimisque moribus, qui iudicium tuum aliis in rebus novi, prorsus non dubitare possum. Ni graviora negotia me hic detinerent, ad vos advolarem, ut animum oculosque ornatissimae feminae visu colloquioque pascerem. Sed si nunc haud liceat, alias facultas dabitur ad vos excurrendi. De aliis etiam fortunae tuae incrementis tibi ex animo gratulor, et ut porro virtus tua dignis praemiis condecoretur, voveo iubeoque. In hac tanta rerum tuarum commutatione non mei tantum (quod minus mirum est) sed etiam Sophoclis tui oblitus videris. Certe in postremis tuis literis de illo ne γρῦ quidem. Eo magis cupio hac de re a Te certiorem fieri. Mea opera cum cl. Ernesti studio consociata cum maxime versatur in adornanda pulcherrima Callimachi editione; cuius magnam partem operae iam profligarunt. Diu est, cum Codicem MS. huius poetae in nonnullis locis in gratiam meam consuluisti. Supersunt tamen tres aut quatuor loci, in quibus alii MSS. mire variant, nonnulli lacunam ostendunt, ubi quid in Codice Regio non optimo illo quidem, sed tamen minime spernando legatur, scire maiorem in modum cupio. Quam operam ut mihi praestes, eo maiore fiducia a Te peto, quod ad illos locos examinandos vix quadrante horae opus erit. Sed quaeso te, Vir amicissime, in variantibus enotandis, ut lacunis indicandis scrupulosam et paene anxiam diligentiam exhibeas. Ridebis fortasse nos Batavos Criticos, tanquam minutiis nimis deditos. Sed profecto quotidie experimur, haec sacra non aliter constare. Mihi quidem saepenumero ex futilissimis Codicum lectionibus pulcherrimae emendationes nascuntur. Callimachi versus hi sunt:

(hier fehlt der Brief [illegible])

Hymn. in Del. vs. 176–179.

Φρούρια —

Καὶ ὡδέα —

(ohne Accent.) Ἀμφίονες —

Ibid. vs. 198 – 201.

Ἀλλ' ἔτι τοι —

Ἔστη δ' ἐν —

Φῦκος ἔσαν —

Πλημόν —

Hymn. in Lav. Pall. vs. 135. 136.

Ἀλλὰ Διός —

Ἔμπεδον —

Hymn. in Cer. vs 15. 16.

Τρὶς δ' ἐπὶ —

Τρὶς δ' ἐπὶ —

Ibid. vs. 23. 24.

Κάλλιον —

Θήκατο —

Horum versuum variantes si brevi mecum communicaveris, maxime beneficio me a Te affectum ~~putabo~~ existimabo. Sed festinatione aliqua opus est, ne typothetae citius eo perveniant, quam ego paratus sim ad sententiam de illis versibus dicendam. Exemplar Callimacheum simulatque prodiit, tibi dono mittetur. Brevi etiam aliud a me munusculum ad Te perveniet, Moeris Atticista et Herodianus Piersonii: qui adhuc Aristophanem Bergleri comitem exspectat, brevi tamen et